DE CROCO. CAP. CLXVI.

C

NOMINA.

Κρόκος Græcis, Crocus Latinis appellatur. Officinæ antiquũ nomen retinuerunt. Germani Saffran uocant simpliciter, aut cum adiectione, ʒamer Saffran. Sic uerò uocatus à Croco iuuene, qui propter amorem Smilacis uirginis, in florem sui nominis uersus est; quod Ouidius testatur, qui sic scriptum reliquit:

Crocus unde dictus.

Et Crocum in paruos uersum cum Smilace flores.

FORMA.

Crocus folio est angusto adusque capillamenti penè exilitatem: flore purpureo Colchici floribus non admodum dissimili, in quo flammea Croci stamina: radice bulbosa, copiosaq; ac uiuaci.

LOCVS.

Nascitur in Coryco monte Ciliciæ optimus. Proxima nobilitas ei qui in Olympo Lyciæ monte prouenit. Dein ei qui ex Aegis Ætoliæ urbe affertur. Nunc in plerisque Germaniæ locis plantari cœpit haud infeliciter, quod uiribus è locis iam cõmemoratis allatis haud cedat.

TEMPVS.

Florem ante folium ædit: per autumnũ nanq; Vergiliarum occasu floret, neque ultra mensis spacium flores durant. Postquã autem hi decidunt, statim folia angusta & oblonga prodeunt, uirentq; tota hyeme.

TEMPERAMENTVM.

Crocus paulum quid adstringens obtinet, quod terreum frigidumq; est: sed superat in eo calefaciens & qualitas & facultas, ut tota essentia secundi sit ordinis excalefacientium, & primi exiccantium.

D

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Crocus emollit, concoquit, leniter adstringit, urinam cit, & coloris bonitatẽ efficit. Arcet crapulam cum passo potus. Fluxiones oculorũ cum lacte muliebri inunctus sistit. Potionibus quæ pro interaneis parantur, utiliter miscetur: item ijs quæ uuluæ sediq; subijciuntur & illinuntur. Venerẽ stimulat. Inflammationes erysipelatosas inunctus lenit. Aurium remedijs utilissimus est. Letalem sanè dicunt hunc si trium drachmarũ pondere cum aqua bibat. Radix eius cum passo pota, urinã cit.

EX GALENO.

Crocus concoquẽdi uim quandam habet, adiutante scilicet in hoc & pauca adstrictione. Quippe quibus medicamentis, quum non admodũ excalfaciãt, paucula adest adstrictio, ea parem facultatẽ habent essentijs emplasticis nominatis, quas cum iunctas caliditati non uehementi contigerit, concoquentes esse constat.

EX PLINIO.

Discutit inflammationes omnes quidem, sed oculorũ maximè ex ouo illitũ. Vuarum quoq; strangulatus. Stomachi exulcerationes, pectoris & renum, iecinorũ, pulmonũ, uesicarumq;, peculiariter inflammationi earum uehementer utile. Item tussi & pleuriticis. Tollit & pruritus. Vrinam cit. Qui Crocum prius biberint, crapulam non sentient. Ebrietati eo resistunt. Coronę quoq; ex eo mulcent ebrietatẽ. Somnum facit. Caput leniter mouet. Venerẽ stimulat. Flos eius igni sacro illinitur cum creta Cimolia. Ipsum plurimis medicaminibus miscetur.

EX SYMEONE SETHI.

Stomacho bonus est, ciborumq; concoctionẽ efficit. Obstructiones tollit. Pituitosa & lethargica uitia iuuat. Discutiendi quoque uim obtinet, & uisceribus utilis est, ad spiritusq; difficultatẽ conducit. Si quis illo mediocriter utatur, bonum colorem habebit: sin uerò citra modum, pallorem contrahet, & capitis dolorem, cibiq; inappe-

A inappetentiam faciet. Cum opio & lacte & rosace
ubi dolent, summopere prodest, superpositis Betæ

DE CYNOCRAMBE.

NOMINA.

Κυνόκραμβη, ἢ κωμία, ἢ λυκόζωστις ἄγρια ἀγρί
nia, & syluestris mercurialis mas Latinis
le/Hundßkol Germanis appellatur.

FORMA.

Caulem ex se mittit dodrantalem, tenerum & su
lia, albescentia ex certis interuallis. Semen prope fo
quidem deliniatione sole meridiano clarius est, herb
Cynocramben. Siquidem ea caulem binũm palm
& subcandidum. Folia Mercuriali similia admodu
Semen item iuxta folia exiguum, rotundum, gemin
xum: & in summa, nihil est quod non in ea descripti

LOCVS.

In syluis copiose prouenit.

TEMPVS.

Semen ueris initio, nempe Aprili mense, profert.

TEMPERAMENT

Quum gustu nihil à satiua Mercuriali distet Cy
quod illa obtinere temperamentum.

B

VIRES. EX DIOSCO

Caulis & folia pota, & olerum modo comesta al
bilem & aquosa detrahit.

APPENDIX

Alia est Cynocrambe ab hac nostra, ea cuius mer
& alij, adde etiam Dioscorides, uerum sub nomine
diuersas herbas unam esse putaret, monere uolui.